

autem per aliam entitatem, & illa similiter per aliam, res abi-
bit in infinitum, quod non est concedendum.

54 Secundo probò conclusionem alia via. si existentia ma-
teriarum primarum est diuersa ab eius essentia, oportet illam esse sub-
stantiam, vel accidens; non est substantia, quia non est nec ma-
teria, nec forma, neque totum compositum, hæc enim pertinet
ad essentiam ipsam; nec est accidens, quia substantia non existit
propter accidens, sed accidens propter substantiam potius; ergo
&c. Quod si aliqui dicant, utique non esse neque substantiam ne-
que accidens, sed rei complementum, atque vltimam actualitatem;
quia siue vltimum complementum sit, siue terminus vlti-
mus rei, verum vnū est, videlicet quod aliquid est; ergo ens ens au-
tem diuiditur in substantiam, & accidens immediatè. Et si dicant,
existentiam esse actum, peto ab eis, est ne actus primus, vel secun-
dus? si primus, erit forma substantialis; si secundus, iste est ope-
ratio; ergo existentia nullus est actus.

55 Probo 3. modus existentiarum, quem statuit opposita senten-
tia, habet sine dubio essentiam, & sua prædicata essentialia, vt
nullus negare potest; quæro ergo, vel habet essentiam distinctam
a ratione formali, per quam existit, vel non; si illam habet, ergo
dabitur processus in infinitum; si non, sic argumentor; essentia
illius modi non indiget essentia superaddita, vt sit in tempore;
ergo neque essentia hominis.

56 Respondebunt sine dubio, quod ille modus non indiget
alio modo existendi superaddito, quia est ratio existendi per
suam existentiam, quemadmodum præsentia non indiget modo
superaddito vt fiat præsens; quia ad rationem formalem non
datur ratio formalis; at homo, & res cæteræ v. g. cum non sint
rationes formales existendi, propterea indigent modo super-
addito. sed contra hanc responsionem sic replico, arguendo
a paritate illius modi, & probare intendo, quod hominis essen-
tia sit sua formalissima ratio existendi. ille modus habet prædi-
cata essentialia ab æterno in eodem sensu formali ac habet ho-
mo, & eadem ratione, qua verum est dicere de illo modo, ho-
mo non existit in hoc tempore, in quo antecedenter potuit exi-
stere; eadem ratione verum est dicere de illo modo; modus il-
le videlicet, non existit in hoc instanti, in quo antecedenter po-
tuit existere; ergo idem habemus fundamentum ad concipi-
endum modum illum, cum indifferentiâ ad existendum, &
non existendum ad concipiendam hominis essentiam cum in-